

CONCORDIA

Non secus ac unâ prognati matre gemelli :
 Ult jures, fratres non magis esse pares.
Et si plus anima est, ubi amat, quâm ubi mens animatur;
 Quid mirum est, animæ TÆ decus esse meæ ?
Vel si plus anima est, ubi amat, quâm ubi mens animatur;
 Quid mirum est, animæ me decus esse Tuæ ?
Nosq; animâ ex unâ duo corpora ducere visos ;
 Unus ut in quorum pectorâ flagrat amor.
Dorndorffensis ager, quem non speraverat antè,
 Sed lâtè excepit; Testis amoris erit.
Et germana Soror, benè tunc enixa puellum,
 Cœnâ & Lætitiam, luce sequente, notans :
Atq; Altenburgum mirans iter inde paratum
 Ad Philyras à me, testis amoris erit.
Scilicet haut poterat percharus CÆSAR amatus item,
Ecquid verò putas, talis conjunctio proficit,
 Sint nîsi concordi corda ligata fide ?
Hæc etiam nostram rexit CONCORDIA mentem :
 Nobis Velle unum, Nolleq; tale fuit.
Nexa comas Lauro Concordia candida dixit :
 Vestra hæc, si persistent pectora, Laurus erit.
Atq; Parens etiam scitè præceperat istud ,
 ELIAS, cuius suaviter ossa cubent !
Hoc dicto erecti, velut uno in amore columbae
 Viximus, & socius pectora fovit amor.
Nullum dissidium, clamosaq; jurgia nulla ,
 Nullum litigium, nulla querela fuit :
Vel, si quod fuerat, factum illud more columbi est,
 Qui sociam intento murmure comis agit.
O si conjugio in vestro Concordia regnet !
 Quâm fuerit felix, quâm quoq; suave jugum !
Si namq; hanc brutam monitricis imaginis umbram
 Exprimat ingenio, nupta puella, suo ;
Conjugio tali res nulla beatior extat ,
 Divitias Cræsi quæ superare potest.
Contrà, ubi pacifragâ miscentur jurgia linguâ ,
 Scinditur insanâ seditione domus.
Gratia nulla DEI, Sponsis, Benedictio nulla
 Expectanda venit, tetrica si adsit Eris.
Siracides inter mavult habitare Leones,
 Quam moestâ uxor is jurgia, mente pati.
Ergo sit una Domus, Thalamus, Mens, unaq; Mensa,
 Ceu nobis; Vester sic bene habebit Amor.
Quæritis, à quonam sit dulcis COPULA facta ?
 Fecit eam propriâ dictus in Æde Parens.
E quâ prosiluit felix COMMUNIO RERUM ,
 Quâ licuit nobis, hâc quoq; parte, frui.
Sed jam blanda suis risum meditatur ocellis
 Sponsa, catâ internè sic sibi mente loquens :
Restat adhuc unum, quo destituuntur Amici ,
 Qui tamen exemplar Conjugii esse putant :
Hoc ego non dicam convivis, mille talenta
 Solveret in mensâ si mihi, prompta Venus.

Quæ-